



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Caput 1. Per Tucumaniam gesta congeruntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

HISTORIÆ PROVINCIAE PARAQUARIÆ

SOCIETATIS JESU

LIBER DECIMUS.



NEUNTE Anno currentis sæculi trigesimo secundo, comitiis provincialibus Cordubæ habitis, Joannes Baptista Ferrufinus Italus, afflictæ Provinciæ auxilia ab Rege Catholico & Mutio Vitellesco Generali postulaturus, plurimorum suffragiis eligitur. Corduba luxit Philippum Guevaram Simançæ in Hispaniâ natum, utilem admodum rerum externarum administrum, præter cæterarum virtutum exercitium, singulis diebus aliquâ pii animi significatione ab Deo flagitare solitum felicem vitæ exitum, quâ assiduitate evicit, ut mortem non tantum intrepidus, sed etiam alacer exciperet, & instare nunciantem suavissimè amplecteretur. Tucumania eâ tempestate bello Calchaquinensi, fame, illuvie & peste, non sine Apostolicarum excursionum detrimento afflictabatur. Non obstantibus tamen tot impedimentis, Joannes Cereçeda, & Joannes Dias Ocania, per Cordubensem tractum exeurrentes, non paucis mortalibus Baptismum contulere. In remotissimis locis reperere homines aded sacrorum nostrorum rudes, ut affirmarent, se nunquam Sacrosanctæ Missæ Sacrificio adfuisse: & quod mireris, multi decrepitæ ætatis senes per plurimos annos innocentiam conservarant, qui, percunctantibus Patribus, quomodo tandiu sine sacrorum subsidiis, & in summa libertate, peccata vitassent? respondebant, se ad eam ætatem nequaquam perventuros fuisse, si iram Divinam peccatis provocassent. Idem Joannes Cereçeda aliò translatus, & Didacus Barios, fluminis Salsi accolæ bimestri spatio lustrantes, Exhomologesi, Baptismorum collatione, pellicum demptione, magnam utilitatem attulere. Estecensis civitas multis repentinis mortibus, peste & terræ motu afflictissima fuit, tertia pars urbis subita concussione subversa, omnium animis terrore consternatis, præsertim cum in aère audire sunt præliantium voces: è nostro Collegio Venerabile Sacramentum, ne ruinâ obrueretur, in forum educitum, ab civibus sospitatem flagitantibus, pænè totâ nocte accensis facibus frequentatum est; qui, metu discusso. cœleste rursum Numen irritavere: urbe in partes discissâ, & jamjam sumptis armis in seditionem abiturâ, nî nostri intercessissent partium capitibus industriâ pacatis. In urbe Sancti Michaëlis germani fratres in mutuam ruentes perniciem, direttore sodalitatæ Marianæ adnitente, dexteræ sibi dedere testes pacificatarum voluntatum, mutuo sibi pedes osculantes; cum tamen jam hinc ab anno nec provinciæ Prætor, nec alii præstantes viri eos reconcilare potuissent. Inda mulier, post approbatum in animo perpetrandæ luxuriæ desiderium, caligantibus oculis nunquam potuit vultum imaginis Virginæ in templo nostro patentem cernere, quem tamen mutatâ voluntate videre meruit. Rioca urbs serò luxit, non obtemperasse nostris Concionatoribus, in Indorum gravamina pro suggestu declamantibus, dum se ab Calchaquinis rebellionem continuantibus deformatam vidit.

HIERONYMUS Cabrera, nobilis eques, moturus in hostem, Socios expeditionis comites habere voluit: qui, ne Societatis nomen apud Indos odiosum facerent, diu repugnare: sed tandem Ducis authoritati cedendum fuit, affirmanti sine uno saltem è nostris, cui plus fideret, quàm armatis copiis, ad bellum non iturum. Franciscus Hurtadus, Socius impiger, cum eo profectus,

CAPUT

I.

Per Tucumaniam gesta congeruntur.

1632.

Philippi Guevaram mors.

Per Cordubæ tractum excursus.

Innocentiam longam vitam parit.

Estecum terra motu concutitur.

Socii Estecenses pacificati.

Luxuria desiderium caligantibus oculis nunquam potuit vultum imaginis Virginæ in templo nostro patentem cernere, quem tamen mutatâ voluntate videre meruit.

Rioca urbs ab Calchaquinis irvaditur.

CAPUT

II.

Inter bellum tumultus Socii multum memoratu digna.